



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis  
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia  
Dominicarum Totius Anni**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1689**

Problema XLIX. Cur ferò Apostolis Christus apparuerit? Dominica In Albis.  
Cùm ergo serò esset, die illo venit Jesus. Joan. 20. v. 19.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)

mus gloriam Divinissimi Solis nostri, manè veniat, & sine occasu maneat  
cui Soli honor & gloria, nobis verò benedictio in sæcula.



## PROBLEMA XLIX.

Cur serò Apostolis CHRISTUS  
apparuerit?

### DOMINICA IN ALBIS.

*Cùm ergo serò esset, die illo venit Iesus.*

Joan. 20. v. 19.

**§. 1.**  
Decem  
causæ cur  
Decadi A-  
postolorum  
serò Christi  
apparu-  
erit.

**C**ur congregatæ disci-  
pulorum decadi Di-  
vinus Magister serò  
apparuerit, decem  
proferri causas posse  
video, quarum ultimam  
pro decumana excepturus  
sum. Serò venit ad plectendam  
Apostolorum vecordiam, ita Chry-  
sostomus, Serò venit, quia paratos &  
divinâ præsentia dignos Apostolos  
citius non invenit, vel ut virtutem  
eorum tentaret, & desideria exacue-  
ret, ita Gregorius. Serò venit, ut  
non orientem solum, sed & occidentem  
solem adorandum esse doceret,  
ita Ambrosius. Serò venit, ut se  
lucem in tenebris ostenderet, &  
coelestes vulnerum suorum carbun-  
culos ex obscuro illustrius emican-  
tes exhiberet, ita Chrysologus. Se-  
rò venit, ut se in vitæ vespera, quan-  
do sensuum januæ clauderentur, &  
plena timorum erunt omnia, in ju-  
dicium venturum insinuaret, ita  
Gregorius Nyssenus. Serò venit,  
ut qui se Columnam nubis in die  
duobus Emauntinis exhibuerat &  
ex nube divinissimum manna de-  
pluerat ( in fractione enim panis

cognoverunt hanc nubem) colum-  
nam quoque igneam de nocte A-  
postolis suis demonstraret, ita Nazi-  
anzenus. Serò venit, ut parabo-  
lam de vocatis horâ novissimâ in  
vineam renovaret, & novissimos  
primis, quibus apparuerat, inque  
vineam vulnerum ac cordis sui e-  
vocaret, pares esse ostenderet, ita  
Euthymius. Serò venit, quia sub-  
feram vitæ vesperam quàm maxi-  
mè necessaria, utilis, jucunda ejus-  
dem nobis erit præsentia, ita Bernar-  
dus. Serò venit, ut seriam hanc ve-  
ritatem per Apostolos Ecclesiæ u-  
niversæ traderet, non succurrere  
DEUM, nec prodigia operari, nisi  
cùm serò est, & desperata videntur  
omnia. Ita iterum Chrysostomus,  
celebri illâ suâ sententia, quæ erit  
dictionis hodiernæ Cynosura: *ha-  
bet hanc consuetudinem DEUS, ut  
succurrat, quando res est ad ultimum  
reducta Et in casibus desperatis.*

Videtur Salvator noster ad eun-  
dem profus modum die gloriosæ  
suæ anastasis egisse cum discipulis,  
quo ante triennium in nuptiis Ca-  
næ Galilææ egerat cum Matre. Vi-  
num ista nuptialibus pro convivis à  
Filio

**§. 2.**  
Sic egit  
Christus  
cum disci-  
pulis in  
Resurre-  
ctione, si-  
cut Canæ

cum Ma-  
tre. Joan.  
2. v. 3. 4.

Filio petierat: *Vinum non habent.*  
at Filius: *nondum venit hora mea.*  
Quænam illa Christi hora est, quæ  
vinum miraculo procuretur? Chry-  
sostomum respondentem audia-  
mus hom. 20. in Joann. Nondum  
venit hora mea, id est, nondum de-  
fecit vinum, sine eos primùm hoc  
sentire, qui enim necessitatem non  
præsentit, neque beneficii grandem  
fufcipit sensum. Defecerat vinum  
consolationis in Apostolis, falsa &  
amara lacrymarum aqua in potum  
erat haurienda, quid faciet Christus?  
num aquam mutabit in vinum?  
placatum in plausum? luctum in  
jubilum? Mutabit, nemo dubitet,  
mutabit, sed non citiùs, quàm sero  
vespere, horâ diei ultimâ, suprema  
videlicet urgente necessitate: *Cum  
ergo serò esset, & porta clausa, venit  
JESUS.* Quid porrò in clausis  
portis mysterii? Irenæus explica-  
bit, & quidem in ipsissimis hydriis  
Cananæis. Dixerat supplici Geni-  
trici Filius: *nondum venit hora mea;*  
quorum vim verborum mox affe-  
cuta Virgo prudentissima jubet ocy-  
us voluntatem Christi perfici, vacu-  
as impleri aquâ hydrias, manus non  
in sinum recondi, sed operi admo-  
veri, hauriri priùs aquam quàm vi-  
num, quia videlicet cooperatio no-  
stra exigitur, nec nisi urgente neces-  
sitate miracula patrantur. Audia-  
tur D. Irenæus lib. 3. contrahæres.  
c. 18. Nondum venit hora mea,  
quæ videlicet miraculum operer;  
quænam igitur illa gratiarum hora?  
cùm hydriæ erant aquâ plenæ, non  
quamdiu vacuæ. Constituit enim  
Pater æternus tunc succurrere eti-  
am miraculosè, quando nostram  
nos contulerimus cooperationem.  
Ut aqua tribulationis mutaretur in  
vinum exultationis, non stetère A-  
postoli in foro otiosi, non hæfere in  
ganeis flagitiosi, non discurrerunt  
per compita curiosi, sed in cænacu-

lo clausi præstolabantur Magistri sui  
præsentiam, & seclusis aliis omni-  
bus distractionibus suam Divinæ  
gratiæ impendebant cooperatio-  
nem, digni proinde ejusdem desi-  
deratissimi hospitis frui præsentia,  
quæ est super mel & omnia. *Ha-  
bet hanc consuetudinem DEUS, ut  
succurrat, quando res est ad ultimum  
reducta, & in casibus desperatis.*

I. Reg. 23. cinctus erat undique  
David à Saulis exercitu & tantam re-  
ductus in angustiam, ut dicat sacer-  
textus: *desperabat se posse evade-  
re:* at ecce in casu desperato mi-  
rus succursus Numinis? veredari-  
us enim in castris adest regiis, & Sau-  
li nuntiat: *festina & veni, quoniam  
infuderunt se Philistiim super terram.*  
Ex quo tempore tantam in DEUM  
fiduciam concepit David, ut dixerit  
Ps. 26. v. 3. *si consistant ad-versum me  
castra, non timebit cor meum, si exur-  
gat ad-versum me prælium, in hoc ego  
sperabo.* quasi dicat, in hoc ipso  
supremo periculo sperabo, quia ibi  
mihi præstò erit DEi auxilium, ubi  
summum aderit periculum, ait Fer-  
nandez. S. Cyprianus verò: *in ipso  
magis bello spes nostra consistit,* quia  
hoc est proprium Divinitatis suc-  
currere in casibus desperatis. Viro  
mulierem adjungo Agarem, de qua  
Gen. 21. v. 16. legere est, extinguen-  
dus siti erat parvulus Ismaël, quem  
Mater ad jactum sagittæ abjiciens,  
levavit vocem & flevit: *non videbo  
morientem puerum.* & mox subjun-  
gitur: *exaudivit autem DEUS vo-  
cem pueri.* Videte hic humanorum  
inconstantiam affectuum, & servili-  
um genium ingeniorum. Agar  
Mater erat, & Ancilla erat. Si An-  
cilla cur ultimum Domini sui filio  
exhibere famulatum recusat? si Ma-  
ter, cur unicum uteri sui non exci-  
pit sinu, non stringit amplexu, non  
fovet halitu, non recreat obtutu?  
quis ergo fatalem morienti parvulo  
ab-

S. 3.  
David ex-  
perientia  
doctus in  
gravissi-  
mis neces-  
sitatibus  
firmissime  
sperat. Si-  
militer A-  
gar.

absterget sudorem, quis siccabit lacrymas, quis supremum excipiet halitum, quis mortuo claudet lumina? Nimirum Agar ex ancilla Mater erat, ideoque nec Mater nec Ancilla, & genium Mundi ad vivum repræsentabat, qui nec usque ad arborem, an aram mortis solet esse amicus; ubi maximè assistendum, deserit, & nè verbulo quidem solatium aspergere curat. Quod verò ad propositum meum præcipuè facit, est, quòd dicat scriptura: *exaudivit Dominus vocem pueri*, & tamen puer non legitur clamasse & flevisse, sed agonizasse. Mater levavit vocem & flevit, non Ismaël. Nimirum præ Matre clamabat extrema parvuli miseria; ita erat desertus, ut dici potuerit: *desperatum est*; Sic ergo derelicto succurrit DEUS, dicam ego locò tui, mi Parvule, quod postea scripsit David Pf. 26. v. 16. quoniam Pater meus, & Mater mea, Abraham & Agar, dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. *Habet hanc consuetudinem DEUS*, quando res est ad ultimum redacta, succurrit.

§. 4.  
Moyfes  
theoricè  
practicè  
que docty  
est DEUM  
non nisi in  
rebus de-  
speratis  
succurre-  
re.

Exodi c. 5. v. 4. projicit Moyfes Virgam suam in terram, & ecce vertitur in serpentem, territus Moyfes fugam circumspicit, sed DEUS jubet stare & impavidum esse, imò & apprehendere: *extende manum tuam & apprehende caudam ejus*. Cur non caput, aut medium, sed caudam? Baëza, l. 2. de David. §. 9. ait per caudam intelligi in scriptura tentationes fortiores & periculosiores, unde Ap. 12. dicitur: *cauda ejus traherat partem tertiam stellarum*. Hoc itaque ænigma fuit divinæ Providentiæ, quòd opem allatura non esset in principio seu capite, non in medio, sed in fine, quia *habet hanc consuetudinem DEUS, ut succurrat, quando res est ad ultimum redacta, & in casibus desperatis*.

Quod ipsum expertus est Moyfes, cum instaret à tergo Pharaeo, oberraret ante oculos desertum (erat hoc hæere plusquam inter sacrum & saxum) jamque desperata viderentur omnia, eò quòd dies appropinquaret, cum hætenus nox turbaverit conceptus Pharaonis: *Jam ad-venerat vigilia matutina, quando ecce respiciens Dominus supra castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum*. Exodi 14. c. & v. observo in singulis partibus mysterium: *jam ad-venerat vigilia matutina*. Nox in quatuor vigiliis dividebatur, vigilia in tres horas, ut habet S. Augustinus in Serm. Sabbati ante Dominicam in Albis. Vigilia proinde matutina erat diluculum diei: *ecce respiciens præcessit quodammodo Dominus satis securum sciens populum, dummodo sequeretur, respexit autem per columnam, ut exploraret populi constantiam, utrum columnæ sint ignis in amore, nubis in obediendi facilitate. interfecit exercitum, omnem simul hostilium copiarum numerum, ut vidit, terrefecit, perdidit, triumphavit*. Cur primò succurrit, dum Sol illuxit & dies populo Israëlitico supremus non tam oriri, quàm ad interitum occidere videbatur? quia in mundi oculo, suam DEUS inconnivem objicere voluit potentiam & providentiam, quæ tunc adesse gaudet, *quando res est ad ultimum redacta*. Apprehende nunc itaque virgam tuam, tempus est ô Moyfes, sed ubi? in fine; quia *habet hanc consuetudinem DEUS, ut succurrat in casibus desperatis*. expertus eandem supremi Numinis providentiam Moyfes est, quando cum fratre Aarone propter populi rebellis tumultum fugere coactus asylum aliud non habuit, quàm Divinum tabernaculum, huc se recepit: *& apparuit gloria Domini*. Num.

16. v. 44. Cur non apparuit extra tabernaculum, imò in hoc ipso tabernaculo nunquam aliàs, nisi jam? respondet Origenes, nunquam majus vitæ periculum Moyfi incubuisse: *ut discamus, quòd imminentibus periculis sit ipse propugnator servus suis.* Origenes hom. 9. in Num.

S. 5.  
Idem ex-  
pertus est  
Daniel.

Exeamus è deserto, ubi cubile ferarum & Augustale leonum est, transeamusque ad locum desertissimum & quidem in angustiis septem leonum. Daniele in lacu Babylone spectemus. jam sexto die hæret innocens ab ungvibus quidem famentium bestiarum immunis, ab interna tamen famis domesticæ furia non eximius. Erat ibi diebus sex, quando clamabat Habacuc: *Daniel serve DEI, tolle prandium, quod misit tibi Dominus.* Daniel. 14. v. 30. vidn? sextiduo torquetur inediâ. Cur tam diu maceras innocentem DEUS misericordissime? Adverto, causam, nempe sequeris consuetudinem tuam antiquam, ut succurras quando res est ad ultimum redacta, & in casibus desperatis. Hippocratis doctrina est, hominem sanum & bene dispositum posse ad septem dies absque cibo producere vitam, vix ultra. Ultra verò dies septem, si abundet viscoso phlegmate, & calore nativo deficiat (unde & septimo die vocavit Moysem Dominus de medio caliginis. Exod. 24. v. 1. quia nisi se primo illum die Dominus vocasset, natura hominis in semetipsa residens in brevi penitus aruisset, ait Rupertus Abbas) expectat enim De-

us donec res ad ultimum redigatur. Et vide sis, quomodo illi afferatur cibis: *Apprehendit Habacuc Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis sui.* v. 35. quomodo per millia trecenta è Judæa in Babylonem solo portavit capillo, quo nihil debilius? lacere tur capillus, ubi jacebit cum sua olula miser Habacuc? gratis erunt omnia. Advertit mysterium Bæza inquiens: docere vult DEUS, etsi res nostræ ita sint desperatæ, ut à capillo pendeant, debemus nos tamen DEO committere & illud Habacuc. 2. v. 3. altè cordi imprimere. *Si moram fecerit expecta eum, quia veniet, & non tardabit.*

Omitto Abrahamum ab immolando Isaaco non citius liberatum, quam cum res ad extremum redacta. Omitto Susannam, quæ auxilium prius non invenit, quam educeretur ad mortem; videbatur Deus oculos claudere, nè videret innocentiam, obturare aures, nè audiret gemitus, donec esset conclamatum, jamque parati lapides. Omitto Juditham, quæ in supremo discrimine exiit, & extremo si non vitæ, certè pudicitia se periculo commisit. Quibus singulis solenne illud lemma apposueris: *Serò licet veniat, non mihi serò venit.* Compensat DEUS beneficiorum magnitudine tantillas moras, eoque graviores muneribus manus affert, quò graviores ad succurrendum visus est habuisse pedes; sicut enim de DEO vindice canitur:

*Ad scelerum pœnas venit ultrix ira Tonantis,  
Hoc graviore manu, quò graviore pede.*

Ita de DEO benefico repeti debet:

*Donat opes, & præstat opem benefactor JESUS,  
Hoc graviore manu, quò graviore pede.*

Fin-

Emblema.

Fingamus in emblemate Morum arborem, quæ serò fructus profert, sed: *compensat dulcedo moras*. Vel imbrì ferotino adscribamus: *gratior est cum serus adest*. Vel ex Augusti Symbolo Delphinum testudini insistentem accipiamus: *festinat lentè*. Ad alteram dictionis partem festino, & DEUM sinè necessitate miracula non facere ostendo.

§. 6.

Cur Christus à Jairo fidem prærequirit.

Jacob mittens filios in Ægyptum pro frumento, non habuit satis bene precari illis & divinæ committere providentiæ, Gen. 43. v. 14. *DEUS autem meus faciat eum vobis placibilem* (Proregem Ægypti:) sed & munera, pecuniámque duplicem ferre unà iussit, ut doceret, inquit Oleaster, faciendum, quod in vobis est, postea ad preces recurrendum. Archisynagogus Jairus filiam audierat in extremis esse positam eo ipso tempore, quo Christo supplex factus fuerat, ut moribundam sospicaret, cui Christus; *Noli timere, crede tantum & salva erit*. Luc. 8. v. 50. cur non dicit absolute: *Salva erit*, sed fidem insuper requirit? imò cur fidem illi miraculose non infundit, sed vult, ut conatu proprio eliciat, quam potest, fiduciam? Respondet Abulensis, quia volebat miraculose statim operari: *hoc est generale, quòd, quidquid humanitus per Christum fieri poterat, nunquam divinitus faciebat*. q. 113. in cap. 9. Matth.

§. 7.

Angeli in scala absque ala erant quo mysterio?

Gen. 28. v. 12. Vidit Jacob in Somnis scalam stantem super terram & cacumen ejus tangens Cœlum, Angelos quoque ascendentes & descendentes per scalam, quæritur, utrum Angeli illi alas habuerint? Respondet Alcazar in c. 4. Apoc. v. 1. non habuisse; siquidem apposta fuit scala, cui DEUS adhærebat, ut Angeli ascenderent atque descenderent. Otiosæ fuissent alæ, siquidem alius fuit ascensus, scalarum videlicet ita firmatarum adminicu-

lum, ut DEUS ipse sustentârit, nimirum cum mediis naturalibus fieri quid potest, miracula non expectentur. Neceffe erat sustentari à Christo plura hominum millia, nè fame perirent, ad quod prodigium non fuit facilis & velox JESUS, sed ut bene à Marco notatum est, extorqueri quodammodo sibi passus est multiplicationem panis prodigiosam; primò propter copiam, erant enim solorum virorum, exceptis mulieribus & parvulis *quasi quatuor millia*; secundò propter loci distantiam, *quidam ex eis de longè venerunt*; tertio propter patientiam *triduo sustinent me*; quarto propter præsens periculum: *Si dimisero, deficient in via*; quinto, & præcipuè quòd ipse Angelorum panis præsens adesset: *cum multa turba esset cum JESU*, dedecus enim & ignominia Christo videri poterat, cibos deesse, ubi ipse aderat; Et quot opus & quantis ut Christo pervadeatur miraculum! *& nunc nisi periculum ex ciborum penuria fuisset, neutiquam fecisset miraculum*, inquit Theophylactus.

De pane miraculose multiplicato cum memini, *manna* occurrit, panum, ut sic dicam Imperator. Describens sacer historicus profusam DEi in populum Israëliticum beneficentiam in subministrato illo miraculoso pane, qui ab admiratione nomen habet: *Manhu?* addit diligenter temporis diurnitatem, per quodè penu cœlesti dispensatus hic cibus fuit. Exodi. 16. v. 35. *Filii autem Israël comederunt Manna quadraginta annis, dum venirent in terram habitabilem*. Hoc cibo aliti sunt, usquequo tangerent fines terræ Chanaam. O quam providè dedit DEUS, quàm prudenter descripsit Moyses cœlestem alimentationem, donec terram frugiferam contin-

§. 8.

Manna non nisi in extremo defectu datum.

ringerent, tunc enim deficiebat titulus Mensæ, & desiit ipsa Mensa. *Ostendit locus iste*, inquit Oleaster, *non esse querendam à Domino provisionem, cum nobis possumus providere, quemadmodum Judeis DEUS non providit, postquam terram habitabilem sunt ingressi.* Notent hoc illusi, & illusæ, quotquot dies pœne totos in templo exigunt, & millies repetunt: *panem nostrum quotidianum da*, dabit omnino, sed *vestrum panem* dabit, quem vos labore manuum vestrarum procurare studebitis; dabit omnino, sed si præcedentem petitionem observaveritis: *fiat voluntas tua sicut in caelo.* Voluntas DEi est, ut laboretis, sicut in caelo otiosus nemo est, sed totus totaliter occupatus in eo, quod statui suo congruit, ita & vos labore impigro decet esse occupatos. Non expectemus miraculo, quod nostro consequi possumus studio.

§. 9.  
Cur non  
Corvus si-  
cut colum-  
ba ad ar-  
cam Noë  
readmiffus.

Exploratore egebat Noë, ut recognosceret, utrum aquæ diluvii subsiderint, in quod munus aptissimum censuit esse corvum, quem non terrent cadavera, non tardarent undæ, & quoties rediret bonam spem nuntiaret, si non hodie, cras cras certè fore tempus ex carcere prodeundi in apricum, vel ideo fortasse corvum misit, ut si periret non multum perderetur in corvo inutili. Vola ergo sive malo, sive bono omine corve, sed revertere: *qui egrediebatur, & non revertebatur.* Gen. 8. v. 7. in textu Hebræo est: *qui egressus est egrediendo & non redeundo.* quasi circa arcam obvolitasset, & reditûs viam frustra inquisivisset. Post corvum albicans emittitur columbula, sed hæc paulò post amicum repetit hospitium, & ab hospite faventer excipitur: *Noë extendit manum & apprehensam*

*intulit in arcam.* ibid. v. 9. O Patriarcha sancte, an non ista est partialitas? cur minus benevolentia ostendis corvo quàm columbæ? putabam quoddam *vexet censura columbas*, de te dicemus: columbis dat veniam, vexat corvos censura Noëmi. Corvum oppositâ velut manu repellis, num peccavit in arca, ut dimissionem meruerit? an non præter morem & naturam pacificus fuit? imò quia pacificus fuit, & bene se gessit, hanc expatiationem merebatur, invenit enim foris liberalissimum pastum, o quàm illi bene est! à decem amplius mensibus mensam similem non habuit; maneat ergo corvus, vescatur cadaveribus, bene illi provisum foris, non indiget convictu in Arca; columba redeat, quæ nec habet, ubi requiescat pes, nec unde fatietur ventriculus. *Hæc figura*, inquit Oleaster, *admonet eos, qui suo labore vivere possunt, non expectare alterius provisionem.* Dignum laude facinus & jure plenum, quod corvum Noë non admiserit, quia suam alibi annonam quærere poterat; admiserit columbam, quæ si excluderetur, fame erat absque sua culpa interitura. Sic vituperum non merentur illi, qui eleemosynam robustis quibusdam mendicis negant, si quidem hi possent, si vellent, laboribus panem mercari. Sic DEus agit nobiscum, necessaria vitæ non subministrat, si ipsi nobis parare possimus, miracula tunc patrat, quando naturæ deficit facultas.

Columbæ jungam oviculam parabolicam illam, de qua verus Noë, bonus pastor diseruit Luc. 15. v. 5. *Balat in solitudine pœnitens: erravit sicut ovis, quæ perit, quæ servum tuum.* Ps. 118. v. ult. audit vocem sollicitus pastor, accurrit,

§. 10.  
Pro ovicula errante curritur, non pro filio prodigo.

am-

amplectitur utriusque ulnis: *Et cum in-venerit eam, imponit in humeros suos gaudens.* Relinquamus oviculam in humeris, & ad caulam, ad nonaginta novem ovium gregem deportari gaudeamus, nos interim ad haram non gravemur expatiari, ubi nobilis cujusdam & prædivitis Domini filius subulcum agit, & suem potius (sit verbo venia:) agere optaret, ac de filiquis saturare ventrem inediâ tantum non corrugatum; sed nec filiquis vesci licet. Jacet infelix juvenis non stomacho magis quam conscientia pressus in terra, & considerat, quam bene interim agatur in domo paterna, ubi lautissime omnia. Quid? ego nobilis hæres, licet exhæreditari dignus; ego filius, licet degener; ego ad dominandum natus, licet jam servis deterior, si filius esse non possum, mercenarius ero: si porcos pascere debeo, pascam non aliud, quam Patris mei: si flagellari mereor, flagellari ultro sed à manu paterna supplex expetam: *Surgam, ibo.* Surgit, vadit, & idcirco citius est in oculis patris, Pater in occurso, & paulò post in amplexu filii. Sciscitari hic libet, cur pastor ultro iverit pro ove, Pater non iverit pro filio? clamat pastor: ovis mea ubi es? non clamat Pater: fili ubi es? non expectet filius, ut pro ipso in regionem longinquam vadat Pater, si vult redire, redeat; faciat, quod vult. Econtra non dicit Pastor: expectet ovis, sed: cito ibo, periculum in mora est, nonaginta novem lubens deserum, ah cito! cito.

Quæ ista affectuum diversitas? an non qui Pastor, idem Pater est? Pater misericordiarum! ita est, verum docet nos DEUS, quòd sese accommodet rebus & temporibus. Ovicula semel erronea nescit repe-

tere socium agmen, scit viam relegere filius; ovicula quòd longius pergat, magis se involvit, nec nisi balatu miserabili se juvare novit, quò tamen irritat lupum; filius habet ingenium, etsi amiserit ingenuitatem, scit quomodo, ubi, quando recuperari gratia paterna possit; veniat ultro, fateatur errorem ingenuè, aperiat os, petat veniam, confiteatur petulantiam, & miserebor ejus, apprimamque cordi meo caput ejus. Habes hic DEI morem vivaciter expressum: opitulatur ille quidem necessitati, miseretur calamitati; at fovere socordiam nec vult, nec solet.

Adolescenti, qui mortuus erat & revixit, associemus adolescentulam filiam Jairi, cujus supra meminimus. Ingressus conclave Dominus, in quo patrare constituerat miraculum: *tenuit manum ejus, & surrexit puella* Matth. 9. v. 25. Sed nè quis illusionem interpretaretur, *dixit dari illi manducare.* Marc. 5. v. 43. Quærit Abulensis, cur pro comitate & clementia sua Dominus, qui vitam dedit, etiam cibum non porrexerit? cur qui manum tenuit, delicatum bolum in os non ingesserit? cur, majus, qui tribuit, minus non conferat? Responsum in promptu est. q. 109. **CHRISTUS** *facere volebat ea, quæ nemo alius poterat, quæ autem per alios fieri poterant, facere nolebat.* Scivit hunc DEI genium David, qui ut fugeret furorem Saulis, ad Achis Regem confugit, ut verò in asylo ab aulicis non pateretur, *immutavit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, desuebantque saliva ejus in barbam.* 1. Reg. 21. v. 31. non rogavit David Dominum, ut hostes excæcasset, ut ab Angelo transportaretur,

§. II.  
Resuscita-  
tæ Jairi fi-  
liæ Christi  
ipse met  
panem non  
porrigit.

§. II.  
David mi-  
raculum  
non petit,  
cum hu-  
mana suf-  
ficit indu-  
stria. Ita  
& tres Re-  
ges.

vel alio modo liberaretur; eò quòd non dederit ei DEUS confidentiam ad ista inquit Abulensis q. 19. non speravit David miraculum, cum suà evadere posset industrià.

Ibat trias regia cum fortunata stella ad salutandum Regem Regum, jamque Solymæ portis proxima erat, cum ecce stella disparuit, & optimo maximoque solatio peregrinos destituit. Quid facient Reges sine stella, hoc est sine duce, sine luce, sine præsidio? quia Magi seu prudentes sunt, consilium captant ex arena, succedunt in urbem, invifunt regiam, percunctantur: *ubi est, qui natus est Rex Judeorum?* & nè videatur levicula esse quæstio, ac suspecta, adjungunt: *vidimus stellam ejus*, Matth. 2. Quærunt interpretes: utrum stella subtracta illis fuerit in poenam, quòd terrenum consilium auxiliùmque postulaturi Solymam intraverint? an verò in infigne documentum, quòd Deus non regat homines per se, quando regere potest per alios homines, id quòd verisimilius esse censeo; siquidem non motu proprio, sed ductrice stellâ urbem adierunt; adeoque nulla ex parte ipsorum culpa intercedere potuit. Abstulit DEUS prævium ducem, ut cogerentur ire ad clarissimos legisperitos, quos ad manum habebant. Nimirum miracula sine necessitate DEUS non facit.

§. 13.  
Ad patrandum sine necessitate miraculum sollicitat Christum Dæmon.

*Ubi humana defunt, divina succurrunt*, inquit Petrus Chrysologus Serm. 156. Exploraturus tentator Christum, utrum reverà esset filius DEI, hoc optimum rescindi medium arbitratus est, si induceret Christum ad petendum à DEO miraculum sine necessitate; ideò panes obtulit, ideò præcipitium svasit, tentavit Christum, ut Christus

tentaret Patrem, sed non successit sua fraus impostori, elisa est illo acroamate: *Scriptum est, non tentabis Dominum DEUM tuum*. Matth. 4. Miraculum sine necessitate petere, tentare est.

Elisæus rogatus à Vidua, ut filium revocaret in vitam, nè hospitiæ suæ unicam denegaret gratiam, consensit quidem, sed quot ceremoniis adhibitis! quas inter non postrema fuit illa, quòd pumilioni incubuerit, dum frigida cadaveris membra incaluisent: *incurva vit se super puerum, & calefacta est caro pueri*. 4. Reg. 4. v. 34. cur calefacit carnem pueri? respondebit Abulensis, quia anima non potest operari aliquid sine calore. Verùm non acquiesco. Vitam puero non erat daturus Propheta, sed DEUS, cur ergo præsumit dare calorem? an putat DEum resuscitare non posse, nisi Elisæus concurrat? absit hoc Elisæum de DEO, nos de Elisæo suspicari. Scivit Elisæus, quòd DEUS nos non ægrè in partem miraculorum admittat, neque dedignetur in eo adjuvari à nobis, quod possumus. Præstitit Vates, quod poterat, DEO, quod reliquum erat, commisit.

Pudendam nuditatem suam ferre non valentes protoparentes *consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata* Gen. 3. v. 7. quæ tamen DEUS permutavit in tunicas pelliceas, quibus eos induit. *ibid. v. 21.* Cur prius illos non vestit DEUS, quam semetipsos vestirent? respondet magnus Tostatus: *ut daretur locus humane prudentiæ & ingenio, ut homo faceret aliquid à se ipso, non venit DEUS statim*. q. 199. in c. 3. Gen. Vult itaque DEUS, ut homo faciat, quod potest, quod non potest homo, faciet etiam miraculose

§. 14.  
Nec Elisæus puerum resuscitat, nisi incubat; nec protoparentes à DEO vestiuntur, nisi ipsi prius se vestiant.

§. 15.  
Non vestit protoparentes DEUS, nisi ipsi se prius vestiant.

Iosè DEUS. Congregentur itaque Apostoli, expectent, reexpectent, clament, non cessent, sperent, suspirant, non desperent, quod possunt, agant, actum non agent, aderit, licet serò, aderit tamen, & longè certius stabit in eorum medio, quàm ego steterim in hac cathedra, è qua priusquam excedam, dicam aliquid in excessu. *Ego dixi in excessu meo: projectus sum à facie oculorum tuorum.* Pf. 30. v. 23. in Hebræo: *ego enim in desperatione mea dixeram: projectus sum.* quid sequitur? *ideo*

*exaudisti vocem orationis meæ dum clamarem ad te.* Cùm desperata erant omnia, omnisque ab homine impensa industria, exaudiet & succurret DEUS, veniet & stabit in medio tanquam Mediator, imò centrum votorum nostrorum JESUS, quo in centro con-  
quiescamus.



# PROBLEMA L.

Quod certissimum Reprobationis  
signum?

## DOMINICA II. POST PASCHA.

*Cognosco meas & cognoscunt me meæ.*  
Joan. Io. v. 14.

S. I.  
Sex hirci  
Symboli-  
ci, sive sex  
reprobationis si-  
gna.

**H**abet Bonus Pastor in ovili suo Oves, habet & hædos, eâ naturâ præditos utrosque, ut & hædi in agnos, & hi in hædos facillè possint transformari. Nescit homo, ovis an hædus DEO sit, quia nescit utrùm amore an odio dignus. Ovem te putas, hircum te fortè Deus novit S. Augustinus l. de ovibus c. 10. qualem te inveniet supremus vitæ dies & hora, talem te exhibebit novissimus mundi dies & æternitas tota, agnum à boni Pastoris dex-

tris, vel hircum à sinistris. Atque ut de solis agam reprobis, horum ectypon in emblemate propono, in quo hircum effigio pronum ad rixas & conscandum: *suscitat iras*, talis Cain, Esau, Saul, Aman & reprobi omnes ad jurgia proni. Hircum alium ab occulta pingvedine suffocatum obycio: *obsunt, quæ prodesse putantur.* talis Epulo Evangelicus Luc. 16. Inde hircus raro oculos, rariùs vocem extollens in altum, sed humi potiùs affigens: *documenta damus.* talis latro à sinistris, qui si vel unicum balâsset *Memento*, hædis  
ad.